

Vg  
3316





Vg  
3316

9.

LVCEM  
AVGVST. CONFSSIONIS  
CVM

CREPVSCVLO

*THEOLOGIAE GALLORVM MELIORIS*

COMPARAT

IPSOQVE SOLENNI SACRO AVG. CONF.

*AD AVDIENDVM*

IV. KAL. JVL. IN AMPLISS. SENATVS DEIPNODOCHEO

HABENDAS A RECTORE AC COLLEGIS

PHRONTISTERII CRVCIANI

ORATIONES

PATRONOS FAVTORESQVE

LITTERARVM OMNES

DECENTER INVITAT

VALENT. ERN. LOESCHERVS D.

SENATOR ECCLES. SVPERINT. ET SCHOLARCHA.

DRESDÆ,

A. MDCCXXX. TYPIS HARPETRINIS.

80



LVCEN

AVGVST. CONFSSIONIS

CVM

GRIFVSVILO

THEOLOGICAE CALONIAE MELIORIS

COMITAT

INNOVATIONIS SACROAVG. CONF.

AD

IN KIL. HILF. HILF. HILF. HILF.

HABENDAE & REGIONE AC COLLIGIS

PERSONALIT. CRVCIANI

GRATIA

PATRONOS FAVTORESQVE

LITTERARVM OMNES

DECENTER INVITAT

VAVIT. ERN. I. OSCHERSV. D.

GENITOR. MELIS. SVPERINT. ET SCHOLARVM

DRESDN

A. MDCCLXXIIII. MARTII





Benignam, o puram, o mitem candidissimamque lucem, in qua singulari Numinis beneficio nunc versamur, in qua lati, & cœlestibus bonis delibuti, exultamus! Enimvero, quod Vates, Messia cognatus, prædixit, *in luce a Christo donata, & ducentis abhinc annis restituta, incedimus, & bilares in salute Dei exultamus, Is. LX, 3. XXI, 9.* Faxit Deus O. M. ut salutare nobis fiant hæ ferix, ac nostrum gaudium sancti Flaminis ductu ab omni contaminatione immune sit, & Christiano cœtu dignum. In tanta felicitate, quam merito prædicamus & magni facimus, non cristas erigemus, non ferociter insultabimus adversariis, multa errorum nocte sepultis, non jaclabimus sortem nostram thrasonicis vocibus; sed Deo Statori & Vindici gloriam omnem destinantes, animos nostros forti studio parta tuendi muniemus.

Id vero vel ideirco curæ nobis esse debet, cum videamus nationes, multorum sane præ nobis subsidiorum prerogativa pollutentes, ignaras quæsitæ ipsi per Filium Dei prosperitatis, fabulas, & pias, quæ vocantur, fraudes, ac dirum conscientix jugum lubenter retinere, suasque sibi ipsis compedes aptare magis & cumulare: cum primis vero, quod Christus ait, tenebras deperire, *Jo. III, 19.* Inter illas Galli, non primas solum affectant, sed multis etiam nominibus merentur; & vel eo cumprimis, quod Romani Præsulis dominatui se totos non permisissent, sed aliquas libertatis lacinias a pluribus inde seculis retinuerint. Illis plerique *crepusculum* aliquod Evangelicæ veritatis adscribunt, & Hispanos, Italos atque alios, cum ipsis si conferantur, in mera nocte versari credunt. Ego vero illud crepusculum contendam cum *luce Confessionis Augustanæ*, quæ nos per Dei gratiam illustrat, ut vel comparatione sic instituta nostræ felicitatis cumulus appareat, Deoque honor pro tam eximio beneficio immensus a nobis decernatur.

Augustanam Confessionem Galli Romanis sacris addicti, non probant quidem prorsus, qui enim possent in illo, quo laborant, animorum statu? sed tamen mitius tractant, & quasi leniter illi arident. Carolus Lotharingus Cardinalis auctor erat in primis de religione Gallorum motibus, concedendi sacrorum libertatem illis qui dictam Confessionem amplecterentur: & patrum nostrorum & nostra prope memoria Jo. Dezius ex Lojola fociis Argentorati orationibus solennibus & scriptis evincere voluit, eandem Confessionem cum Romano-Catholicis dogmatibus, prout illa in Galliis explicantur, conspirare; cui nostratium Theologorum aliqui solide responderunt. Cum vero per insidias illud factum sit, non est quod inde aliquod præsidium nostræ comparationi peramus. Neque in generalibus & vagis hærendum, sed ad singularia deveniendum est.

Gallicana Ecclesia, ex majorum institutis, hæc præfertim contra Pontificem & Curiam Romanam tuerur: Unum esse *ἀντιπρόσωπον* & absolutum Ecclesiæ caput Jesum Christum, & nemini præterquam ipsi obsequium simplex ac purum in sacris causis deberi: Concilio Oecumenico potestatem competere, judicandi de Romani Papæ decretis factisque omnibus, quocumque tempore: Canonibus, qui per totam Ecclesiam a primis usque seculis recepti sunt, obnoxios esse quosvis Episcopos, ipsumque Romanum Præsulem, atque hunc ab illis discedere ac diversa judicia edere salva conscientia & publico Ecclesiæ bono haud posse: Porro, ubi Pontifex in quaestione fidei aliquid decreverit, quod Verbo divino dissonans videatur, id corrigi posse judicio Ecclesiæ, atque ad formulam Scripturæ sacræ congruam reduci: Denique in Reges aliosque Principes seculares causas tractantes, inque illa ipsa negotia, nullum esse Pontifici, neque directum, quod dicitur, neque indirectum imperium; multo autem omnium minime ipsi competere potestatem, loco movendi Reges ac Principes, & populos ipsis subiectos eximi nulla de causa ex illorum dominio, atque a fide sacramentoque ipsis præstito & obedientia liberari posse.

Hæc vero ipsa sunt, quæ Confessio Augustana tradit magno studio, ac strenue pro illis depugnat. Nam, ut inde capiamus initium, tamenti clarius longe in Articulis Smalcaldicis, *P. II. Art. III.* dictum sit, quod solus Christus, non Papa, sit Ecclesiæ universæ CAPVT; sane in Confessione, *Art. XXVIII.* legimus, *Christum Ecclesiam liberasse a iugo Episcoporum*, inter quos ille cum primis eodem loco recensetur, qui *adimere Imperatoribus Imperium conatus est.* Ex Gallis Edm. Richerius diserte professus est, Christum solum esse *caput Ecclesiæ essentiale*, nec fieri posse ut Papa attribuantur quæ in hanc sententiam de Christo dici possunt, *Lib. de Eccles. & Polit. Potest. Cap. IV.* Idem Gallos perpetuo sensisse probat Auctor Tract. de Auctorit. Papæ A. MDCCXX. Gallico idiomate editi, *Lib. V. p. 135. seq.* Ceteri mussitant: Verum illi omnes in Episcopos deinceps transferunt, quod Papæ ademerant; ut clarum sit, in crepusculo versari bonos viros, cum nos Dei beneficio pura fruamur luce ac gaudeamus.

Prodiit Luxenburgi hoc ipso anno, quod diu desiderarunt docti, opus; Jac. Benigni BOSSVETI, Meldensis Episcopi, *Defensio Declarationis Cleri Gallicani de potestate ecclesiastica*, Ludovici XIV. iussu scripta, sed ab illo deinde suppressa; eoque consilio prodiit, ut conculcata nunc per Regiæ autoritatis abusum Ecclesiæ Gallicæ doctrina, vel hoc insigni testimonio vindicaretur. In hujus fronte picta est Gallorum Ecclesiæ liliis vestem decorata & compedes pedibus calcans, quæ Pontifici bullatas literas ipsi offerenti bilancem ostendit, qua decreta illius expendat, duobus Cardinalibus, qui a tergo Papæ stant, serio de hac illius audacia dolentibus. In illo equidem libro Bossuetus ab hac quaestione manum abstinere; id vero confiteri non veritus est, quod testimonia, quibus Romanenses evincere volunt Pontificem Ecclesiæ caput esse, *Matth. XVI, 18. Luc. XXII, 32. Jo. XXI, 15, 16.* longe aliud quid dicant: idque tum alibi enunciat, tum *To. I. p. 49. seq. & To. II. Lib. XV. Cap. 35.* Cum quo facit scriptor Tract. de Auctor. Papæ, *Lib. I. p. 155. seq.* qui & primatum Papæ non divino, sed ecclesiastico saltem jure, niti evicit, *p. 209. seq.* Sed in hoc crepusculo illi consistunt, orituri solis lumen impediennes. Nos igitur ad cetera properamus.

De CONCILIORVM legitime congregatorum potestate Augustana Confessio præclare sentit: nempe ad Concilii judicium *in Præfat.* remittit causam fidei omnium grauisimam, *liberum & Christiano nomine dignum* exposcens atque expectans, ad quod etiam eodem loco adversus Romani & aliorum Præsulum violentiam provocat. Ita prorsus & Galli semper docuerunt ac fecerunt: Sigillatim Archiepiscopi omnes ac Episcopi A. MDCXXCII. Lutetiæ congregati Declarationis suæ Articulo II., qui Conciliorum universaliū auctoritatem in sacris causis Pontificia majorem professi sunt, secuti Alliaccensem, Gersonem, Majorem, Almainum & ceteros Gallorum veteres & præclaros doctores; Eamque sententiam Bossuetus integra Tomi

mi I. Parte I. *sua Defensionis, Libris tribus*, pariterque *To. II. Libris V.* vindicavit contra Duvallium & alios, ut scriptorem de Auctorit. Papæ, *Lib. III. cap. XI.* eandem te- lam probe rextentem, atque alios prætermitam. Addo, Bostuetum *To. I. p. 263. seq.* diserte profiteri, quod quæ Gregorius VII. alique Pontifices nullo deliberante aut approbante Concilio fecerint, *peffimo exemplo* facta sint. Ubi autem de vera Conci- liorum forma & vi agendum est, suo crepusculo contenti omnino Galli deficiunt, & lucem veritatis, qua cognoscimus & vetustissima Conciliorum *πταλομα* emendan- da esse, refugiant.

Pergimus ad CANONES Ecclesiæ veteris, quos Augustanæ Confessionis focii fini- cere colunt & diligunt: nam in Præfatione Articulis abusivum, quos dicimus, præmis- sa monent, *contra voluntatem Canonum* corruptelas vitio temporum receptas fuisse. Ideo veteres ritus a nobis diligenter servari *Art. XXI.* Augustanæ Confess. tradi- tur, & Canones passim commendantur, *Artic. XXII. XXVII.* & alibi. Galli Canonum eussodem volunt esse Papam, non arbitrum, aut, quod prorsus abominantur, domi- num. Ita edixerunt Præfules, *Declarat. Art. III.* eamque illorum mentem solidissi- me firmavit Bostuetus, *Defens. To. II. Lib. XI. integro.* Hic confidenter asseverat *p. 124.* Gratianum primum omnium, ab illa mente discessisse, nec contrarium ante illum in quopiam probatoris notæ Auctore scriptum legi, adeo ut omni causa cessurum se promittat, si tale quid produci possit. Recte omnino; sed ubi de Canonum forma interiori, & primis, quæ irrepserant, vitii sermo est, cæcutiunt Galli, vel, suo crepu- sculo & historica veritatis indagatione, qua multos superant, contenti, supremam lucem, a Christo tantopere commendatam, nolunt admittere.

Pontificis decreta, in ipsis fidei causis corrigi posse, ut aliorum Episcoporum, Augustanæ Confessio docuit, illumque profecto INFALLIBLEM, quod ajunt, non esse, confecit. Reducit enim summam definiendarum quæstionum sacrarum ad Ver- bum Dei, & poscit, ut ex illo Decreta quædam reformentur, *Articulo XXII. XXVI. XXVIII.* In hac causa triumphant Galli, erroremque de falli nescia Pontificis veracitate, quocunque illa pharmaco sanetur, *ἀπλῶς* repudiant. Declarationis Episco- porum hic est Articulus quartus: *In Fidei quoque Quæstionibus Pontificis summi ju- dicio non esse irreformabile, nisi Ecclesiæ consensus accedat.* Hunc vero Bostuetus *To. II. Libris XIV. & XV.* tuitus est præclare; ubi errores fidei, a Romanis Præfulis- bus admissos, longo ordine percenset, *p. 297. seq.* interque alia ostendit, illorum ali- quos *in exponenda Scriptura manifestos errores commississe, p. 315. seq.* Hoc ipsum seorsim fecit scriptor *Tr. de Auctorit. Papæ, Lib. II. p. 341. seq.* qui barbaram voce ac re ipsa infallibilitatem toto Libro II. revocit. Omnium liberrime Nuerus, cum eminenti charactere Advocatus Regius Parisiensis, in scripto ante hos XV annos Sen- natui Regni oblato, (*Memoire* Gallis dicitur,) quod in sylloge scriptorum de Con- stitutione Unigenitus (*Memoires & Reflexions sur la Constitution, A. 1717.* editis) legitur, vera dogmata obscurata esse a Pontificibus suæ gloriæ studiosis, ac errores insigni temeritate propósitos, *p. 148.* velut præconis voce proclamavit: qui & in Clementis XI. Homiliis crassos adversus mysteria fidei errores, inveniri, *p. 119.* scripsit. Inde post Jo. Majorem Richerius pronuntiavit, verum Ecclesiæ filium Pa- pæ omnino contradicere posse, *Lib. de Eccl. & Polit. Potest. p. 23.* Bene ista Galli & mæcule; Mox vero ad alias doctrinæ corruptelas connivent, apertisque veluti oculis dormiunt, quando Constantiensis aliorumque Conciliorum Decreta sunt ex- cutienda: nec enim Conciliis absolute dare possumus, quod giganti Romano ex- tortum est telum; qui eorundem judicia reverenter habemus, pragmaticam vero istam auctoritatem in *ὀνομαστικῶν* degenerare non patiemur.

Nullam esse potestatem Episcopis, ne Romano quidem, in Imperatorem, Reges ac Principes causasque seculares, multaque adeo cura DISCRIMEN POTESTA- TIS ECCLESIASTICAE AC SECULARIS custodiendum, luculenter ac summo vigore Augustana Confessio exposuit, toto Articuli XXVIII. sectione priori: speciatim

tim vero bis culpavit Pontificum ausus, qui *regna mundi transferre, & Imperatoribus adimere imperium conati sint, & legitimam obedientiam tollere, ac leges Magistratui de forma rerumpublicarum prescribere.* Gallicani Episcopi ab hoc dogmate exorsi sunt suam Declarationem, professi, *rerum civilium ac temporalium potestatem Papa a Deo non traditam, Regesque ac Principes in temporalibus nulli Ecclesiastica potestati subiectos esse,* iisdem prope, quæ in Aug. Confess. resonant, verbis. Hanc thesin principe loco asserendam sibi Bossuetus sumit, *Defens. To. I. Lib. IV. V. VI. VII. & VIII.* Ille inter alia clarum fecit, opinionem de potestate Reges exaucto- ranti primum a Gregorio VII. introductam, idque invictis argumentis demonstravit, p. 103. seq. Ille Bellarminum hac in causâ probe depexum dedit p. 119. seq. Fusè insuper hoc negotium discussit, contra Romanenses suos disputans, Auctor *Tr. de Auctorit. Papa Lib. IV. integro,* alios ut tegam. Quod palmarium est, discrimen secularis & ecclesiasticæ potestatis eo modo, qui in Aug. Conf. traditur, Bossuetus exposuit, *To. I. p. 126.* nisi quod rerum spiritualium Ministerio verbi conceditarum, prædicandi Evangelii, remittendi peccata, & Sacramenta administrandi, (quam primariam differentiam causam Aug. Conf. nominat.) Præsul iste, sufficienti luce destitutus, non faciat mentionem. Adeo vel in secundariis doctrinæ partibus nocet, in crepusculo tractare omnia, & huic magis confidere quam meridiei.

Superfunt alia quædam, leviora quidem, sed non præmittenda. Mendicantium ordini non faver Conf. Aug. & *Art. XXVII.* damnat eorum opinionem, qui solos mendicos esse perfectos statuunt: id quod Franciscani crepabant, & Nicolaus IV. Papæ confirmaverat. Theologi autem Gallicani meliores secus sentiunt a multis usque seculis. Provocationem ad Concilium, quam *Appellationem* vulgo nominant, nostricæ ad exemplum Gallorum adhibuerunt, ipsa Conf. Aug. confirmat perspicuis verbis, in clausula Præfationis communis. Ea cum nunc etiam apud Gallos depressos rejiciatur, subinde prodit vox oppressorum pro illa militantium, quam inter alios fortiter edidit Auctor *Tr. de Auctorit. Papæ, Lib. III. p. 91. seq.* qui & Pontificem reum ad Concilii iudicium trahi posse asseveravit, *Lib. II. 422. seq.* Sunt denique inter Gallos cordati quidam doctores, qui Presbyteris jure divino eandem, quam Episcopi tenent, potestatem, tribuunt, perinde ut Aug. Confessio docet, quæ Biblicos Episcopos, i. e. legitime vocatos Verbi præcones, quorum jus a Deo est, ab Ecclesiasticis, qui humano jure, quod abundat, obrinuerunt, sollicitè distinguit. Verum ad illam cælestis luminis partem, quam Richerius præsertim agnovit, Episcopi Gallicani plane cœcutiunt, & ad testium liberæ voces frendunt.

Hunc abacum consensu Theologia Gallicanæ cum nostra Confessione lubens recensui, ut gratias Deo & pro majore felicitate nostri cœtus omnino fundamus, & pro testimonio pariter adversariorum melioris notæ, quod non sine divino beneficio nobis obtigit; utque Deum indefinenter invocemus, ne vel illam luculam patiarur interire, ac oppressos illos, tamen anomalos, veritatis alicujus testes protegat, tandemque meliora ipsis fata concedat. Id unum denique addo. August. Confessio Regibus & Principibus restituit externum, vel architectonicum jus circa sacra, quod Pontificum artibus & imperu amiserant: Nam *Articulo XXVIII.* nostri permoude quidem scripserunt: *Cessantibus ordinariis* (Episcopis suum munus deserentibus) *coguntur Principes, vel inviti, suis subditis jus dicere, ut Pax retineatur.* Hinc appellatio Juris Episcopalis nata est, quod alii Papale dixerunt; utrumque vero nomen, ac postremum maxime, gravibus laborat incommodis, ut præstet omnino aliis denominationibus uti. In eandem sententiam ex Gallis non illepidè scripsit Edm. Richerius, *Libro de Eccles. & Polit. Potest. Cap. X.* Atque id ipsum senatus Regni Parisini, quem *Parlamentum* vocant, imprimis poscit urgetque, Episcopis tamen Gallicanis ringentibus & in contraria studia euntibus. Quod si vero miris & insons illa Ecclesiasticorum apud nostrates Consistoriorum forma rectè capiat, suoque ordine integra servetur, & cum Episcopali Ecclesiarum gubernatione comparetur, vel hoc ipso telti-



testimonio agnoscemus, quanta sit utilitas lucis veræ, in quam per Aug. Conf. restituti sumus.

Ut pleniùs uberiusque intelligatur, quid æra lupinis dissent, quantumque illud crepusculum Gallicum a nostra luce differat, observationes aliquot existimavi esse succenturiandas. Primum veteres Theologi Gallicani longe purius & rectius locuti sunt de istis capitibus quam posteriores. Non dicam de Hincmaro, Ivone Carnutense ac ceteris ab ætate nostra remotioribus, sed a seculo usque XIV. filum ducam, quando contentio inter Galliam & Curiam Romanam erupit in nervum. Equidem hoc seculo, Aegyptiis tenebris sepulto, vix poterant mentem suam liberis vocibus exponere doctores melius sentientes; satis tamen cordate Pontifici Romano Universalitas Parisiensis restitit, scripto Philippi Pulcri ætate edito, quod legitur in Puteanorum Historia Bonifaciana, p. 663. seq. in compendium vero illud redegit Casar Egasius Balæus, in Historia Univerf. Paris. To. IV. p. 935. seq. qui & de Procerum Regni declarationibus, Romanæ tyrannidi oppositis, p. 40. seq. legendus est. Seculo autem XIV. clarissima Franco-Gallicæ Ecclesiæ lumina, Petrus Alliaccensis, Io. Charlerius, qui & Gerçon, Nicolaus de Clamengis, quem vulgo Clemangium dicunt, & Io. Raulinùs, recte multa & candide prolocuti sunt, non de hæcenus dictis solum, verum & de aliis doctrinæ partibus. Tulle decimum sextum seculum non minoris famæ viros, Iacobum Almainum, Iac. Fabrum Stapulensem, Claud. Espencæum & Cl. de Sainstes; sed priores longe cordatius locutus esse, quam posteriores, in propatulo est Ostendit praterlapsum seculum fortes ac constantes viros, Edmundum Richerium, Io. Launojum, Ludov. Elies Dupinium & Carolum Vitassium, sed cum prioribus vix comparandos. Nunc autem omnis Sorbonæ atque Navarræ gloria exultat, vel profstrata Romanis artibus miserrimam servitutem servit, ad veterem parrhesiam vix unquam surrectura. Sæpe delector egregia veritatis Theologicæ confessione, quamvis barbariem styli redolente, quam legimus in Bulai Histor. Univerf. Paris. To. IV. p. 888. quamque Flaciano & Gerhardino Catalogo addendam, imo fimbriæ instar Augusti. nostræ Confessioni decore assuendam putem. Ita vero ibi Io. Gerçon, de ordinandis Theologorum studiis rogatus, in Epistola, quæ in ejusdem Operibus non existat: *Ne tractentur ita communiter doctrinæ inutiles sine fructu & soliditate. Nesciunt necessaria, quia supervacua didicerunt. Per ea non studentes feducuntur, quia scilicet putant, illos principaliter esse Theologos, qui talibus se dant, spreta Biblia (sic barbaro sui temporis more vocem flectit) & Doctores; ubi & cetera videantur, non minus expensu digna.*

Altera observatio nos commonefaciet, quod meliores inter Gallos, qui nostra ætate vixerunt, aut vivunt, etiam quando veterem doctrinam servant, ejus tamen pondus & momentum non adeo magni faciant, theologica affirmatione, quam Theologia, quæ comparativa dicitur, suppeditat. Nam cum illorum antecessores oppositis suis istis dogmatibus errores perniciosos habuerint, & veram Ecclesiæ salutem per illos destrui crediderint; Bossuetus ad miciora hic propensus, velut Romanæ Curie gratiam mercaretur, in *Defens. To. I. p. 2.* scripsit, Clerum Gallicanum sua dogmata, ab ipsa Antiquitate deprompta ut Ecclesiæ universæ utilia, non ut ipsa sua credenda, proponere: *Innoxie* in utramque partem disputari posse, & amico fraternoque animo questiones istas (cum Romanæ Curie Gnathonibus) tractandas esse. Agnoscimus hic Syncretismum novi ordinis & Episcopo aulico dignum, sed ne Patriæ quidem ab a diversa parte tam gravia damna perpeffa utilem. Longe profecto acrius A.C.MDLXIII. Lotharingus Cardinalis cum reliquis Episcopis ad Bertonom, qui causam illorum in Concilio Tridentino sustinebat, perscripsit, Parisiensem Universalitatem docere, quod Concilii auctoritas Pontificia superior sit, atque *hæreticos notare, qui contra sentiant.* Hic tu mihi fratres hæreticos asserere, aut contradictionem istam conciliandam suscipere. Iuvat hic etiam Bellarmini iudicium illud vacillans & mericulosum excitare, qui *Construor. Lib. IV. cap. 8 & 9.* Gallorum sententiam, contrariam pontificiæ *φιλοθετικῆ, hæretici proxima*, vocat, dogma vero satellitum Papæ *ferme de fide* esse affirmavit, cum alii illud in fidei articulum evectum, & Gallos hæreticos dicere non reformidant.

Tertia observatio propius nos tangit. Galli videlicet, dum pro focus fidei & privilegii pugnant, metuentes sibi, ne satis Catholici, vel potius Pontificii habeantur

FX 96 3316

tur, duplo se nobis, qui Augustanam Confessionem sequimur, inensos profitentur, ut admittam in Pontificem culpam acerbitate ista pensent. Sane Bossuetus, modestus alias & gravis Vir, morumque civilium ex asse gnarus, tum alibi, tum in Defensione sæpius allegata Theoninos dentes plebejis convitiis in nos acuit: non solum *hereticos horum temporum* subinde vocans qui cum Luthero sentiunt, & *Catholicæ veritatis & unitatis boves*, qui sedem Apostolicam *magna cum insania* impugnent, *To. I. p. 2.* verum & impotentissime in B. Lutherum debacchatur, *cum impurum nébulonem, ausu sacriligo* omnia sacra nomina conculcantem, p. 10. nominans.

Quanto igitur meliorem esse conditionem nostram agnoscimus, tanto impensius eniti nos decet, ut pro incomparabili hac felicitate accuratissimas summasque Deo illius auctori persolvamus gratias. Nobis cœlestia quævis bona per Christum parta & credentibus destinata diducto velo patent, imo & frui possumus iisdem, totique hoc sanctæ voluptatis oceano velut inundamur. Galli exiguam bonorum partem perdident, ac illa potius, quæ cum rebus hujus seculi proxime coherant, libertatem ab exteriori coactione Romanensium, dignitatem nationis suæ, Regis sui plenam Majestatem, atque alia id genus, quæ cum hac vita pereunt; Nobis autem & illa datum est perspicere, & frui præterea vere spiritualibus æternisque beneficiis: qualia sunt Verbi divini plenus & salutaris usus, sanguinis a Christo per sanctissimam institutionem nobis in calice oblatis participatio, remissio peccatorum sine spinis & reservationum per dicitis, fundamentum salutis candide monstratum, ordoque salvandi animas nostras plene cognitus, paucis, omne consilium Dei de nostra salute.

Recte igitur ac ordine factum est, quod communi consilio & sociis operis lætitiæ pariter ac gratitudinem nostram declaremus, quod Tempa cum Scholis personent laudantium & celebrantium vocibus. Fiet illud in Scholis etiam Dresdensibus, egregius doctrinæ, quam Aug. Confessio tradidit, plantariis, tum in primario, quod Crucianum dicitur, Phrontisterio, tum Palæo-Dresdæ atque in Annæo. Nostra vero eum primis Scholæ, quæ Crucis & Lucis divinæ auspicio instituta est, & utriusque a multis retro lustris servit, immortale illud beneficium obtentæ Confessionis vere Augustinæ ac venerabilis solenni formula recolet, initium facturus ejusdem Præfectis atque Doctoribus. Nam ipso die XXVIII. Junii, qui Trihectorum nostrum excipit, in Deipnodocheo Senatus Amplissimi, (vulgo Breyhahn-Hausse) ab hora II. pomeridiana Panegyris literaria instituetur. Ac primum CL. & percelebris Vir, D. Christianus SCHOETTGENIVS, Rector, & Societati Berolinensi Adscriptus, Meditationem religiosam ad verba Davidica, Psal. CX, 2. *Dominare in medio inimicorum tuorum*, oratione Latina usurus, proferet. Deinceps CL. itidem optimeque meritis Vir, D. M. Jo. Gideon GELLIVS, Con-Rector, eodem sermonis genere, *Augustinæ Confessionis exhibitionem fuisse necessariam*, docebit. Posthæc D. Theodorus Christlieb REINHOLDVS, Cantor, *Confessionis dictæ oblationem fuisse utilissimam*, ostendet, sermone ligato vernaculo. Excipiet illum D. M. Godofredus HOENIVS, huc usque Collega VI., nuper in locum Quinti beate defuncti suffectus, carmine itidem vernaculo *Repurgationem sacrorum Ministerio D. Lutheri per actam celebraturus*. Denique D. Jo. Christianus KOEHLERVS, Alumnorum hæctenus Rector, nunc constitutus Collega Sextus, sermone Latino Profæico, *Gratias pro Aug. Confessione per duo secula feliciter conservat a Deo persoluet*. Qui locum inter Præceptores tertium tenet valetudine infirma impeditur, quo minus cum Collegis dictum prodeat, ultimum vero locum adhuc vacare constat.

His igitur Recitationibus, ut literarum Patroni, Fautores artium liberalium & Amici Musarum frequentes ac lubentes intersint, publico nomine, constitutus quippe hujus Phrontisterii Inspector, omnes ac singulos officiose ac peramanter rogo. Faxit Aeternum Numen, ut Hilaria hæc sancte auspicoque peragamus, & geminaram ipsi hecatomben, bifeculari Sacro dignam, offeramus, sincera Verbi Evangelici confessione ac laude tanto beneficio digna. Cogitemus, ut religiosissimi Archimandritæ Clarævalleensis aureo dicto (ex Epistola illius CXIV.) finiam: *Illud verum & solum esse gaudium, quod non de creatura, sed de Creatore concipitur, & quod cum possederis, nemo tollet a te, cui comparat a omnis aliunde jucunditas, maror est.* Dabam Dresdæ, IX. Cal. Jul. A. MDCCXXX.



mc

VD 12

ULB Halle 3  
007 543 786





Vg  
33/6

9.

LVCEM  
AVGVST. CONFESSIONIS  
CVM  
CREPVSCVLO

IAE GALLORVM MELIORIS

COMPARAT

SOLENNI SACRO AVG. CONF.

AD AVDIENDVM

VL. IN AMPLISS. SENATVS DEIPNODOCHEO

AS A RECTORE AC COLLEGIS

FRONTISTERII CRVCIANI

RATIONES

NOS FAVTORESQVE

ITTERARVM OMNES

DECENTER INVITAT

ENT. ERN. LOESCHERVS D.

OR ECCLES. SVPERINT. ET SCHOLARCHA.

DRESDÆ,

A. MDCCXXX. TYPIS HARPETRINIS.

80

